

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:  
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam  
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus  
gerendum, disposita**

**Creide, Hartmann**

**Francofurti ad Moenum, 1682**

Dominica judica

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

in terra habemus. Id est, ager sanguinis, triginta argenteis, mercedis proditoriae coemptus, & sanguine Christi sanctificatus, ubi secure & tranquille quiescemus, & dormitabimus usque ad diem ultimum, & tum in caelestem Hierosolymam

introducemur, ubi Christus per abitum suum ad Patrem *πολίτευμα* nobis acquisiuit.

Eò nos omnes ex gratia transferre dignetur Deus caelestis Pater per & propter Christum, Amen.

## DOMINICA JUDICA.

Textus.

### Historia Passionis Dominicae.

#### EXORDIUM.

**H**odiernam Dominicam olim vocarunt Judica, quia in Ecclesia Latina in introitu cecinerunt: Judica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta, & c. ex Psal. 43. v. 1. Hoc ipso pii Veteres respexerunt hodiernum Evangelium, ubi Christus in acrem disceputationem descendit cum Judæis, qui non modo convitiis acerbißimis ipsum proscindunt quod Samaritanus sit, & Dæmonium habeat: Sed lapides quoquetulerunt, ut jacerent in eum, Jesus autem abscondit se, & exivit de templo.

Quia igitur illud, quod Christo tanquam capiti accidit, & membra ejus experiri coguntur, in Ecclesia hac militante, non inique precamur: Judica me Deus. Auxilium enim nostrum non aliunde est, quam à Domino, qui fecit cælum & terram, Psal. 121. v. 2. & novit suos è calamitatibus eripere, 2. Petr. 2. v. 9.

Nos pro Instituti ratione ex Evangelio meditamur:

#### 1. Triplicem Querelam. Quæ respicit

1. *Veritatis odium.* Id sane Christus re ipsa comperit, ideo inquit ad Judæos: Si veritatem dico, quare vos non creditis mihi? Idem experti sunt Prophetæ, qui ante eum fuerunt: Apostoli, qui post eum egressi sunt, & Evangelium prædicarunt, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam: ipsis autem vocatis Judæis atque Græcis, Christum, Dei virtutem & sapientiam, 1. Cor. 1. v. 24. Experiuntur quoque quotidie, omnes fideles verbi Præcones, ob invisam enim multis veritatem, tanquam purgamenta mundi, & peripsa fiunt, 1. Cor. 4. v. 13.

2. *Religionis dissidium.* Id statim post lapsum incepit, inter Cainum & Abelem, qui in Sacrificio discrepabant, Gen. 4. vers. 5. Deinde continuatum est ab uno seculo ad aliud,

aliud, & continuabitur, usque ad diem novissimum. Diabolus enim non melior evadit, sed quo propius instat mundi finis, eo plus sævit, quia scit, quod modicum tempus habeat, Apoc. 12. v. 12.

3. *Hæreticorum ingenium* : qui tandem lapides tollunt, quando errorem diutius legitime defendere nequeunt. Id didicerunt à patre suo Diabolo, qui non modo mendax, sed & homicida est ab initio, Joh. 8. v. 44.

II. *Triplicem Medelam*: quæ fluit

1. *Ex perfecta Christi sanctitate*: Hostibus enim suis insultat, inquit: Quis vestrum arguet me de peccato? Id optime facere potuit. Erat enim sanctus sanctorum, Dan. 9. v. 24.

Quod si igitur imbecillitatem nostram deprehendimus, quod in carne nostra nihil bonum habiter, & volentibus nobis bonum facere malum adjaceat, Rom. 7. v. 19. in Christo solatium quæramus, qui nobis à Patre suo factus sapientia, & justitia, sanctificatio & redemptio, 1. Cor. 1. vers. 30. qui credit in eum, justus est, Rom. 10. vers. 4.

2. *Ex permanentia sempiternitate*, de qua ipse: Antequam Abraham fieret, ego sum. Egressus enim ejus ab initio est, à diebus æternitatis, Mich. 5. v. 2. Quando igitur parentes & omnes amici nos deserunt, vel per mortem à nobis divelluntur, Christo fidamus, qui idem ipse est, & anni ejus non deficiunt, Psal. 102. v. 8. Psal. 27. v. 10.

3. *Ex verbi efficacitate*. Repetirò enim inquit: Amen, Amen dico vobis, si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum. Mortem naturâ omnes

timemus, est enim ultimus inimicus, 1. Cor. 15. v. 26. quam fortissimus Simson non declinare potuit, Jud. 15. v. 15. Hinc remedium omnino nullum paratum est, ut Ecclesia canit:

Promorte non est herbula.  
Mors est rata,  
Tertena sunt mortalia.

Verum verbum Dei panacea illa est, qua illi, qui illud sedulo audiunt & custodiunt, à morte æterna præservantur. Ideo vocatur verbum vitæ, Joh. 6. v. 58. & potentia Dei ad salutem omni credenti, Rom. 1. v. 16.

III. *Triplicem Cautelam*, in qua tres Regulæ observandæ:

1. *Conscientiam observa*. Hic Christum conscientia integritate niti, Judæis que exprobrare audimus: Quis vestrum arguet me de peccato? Nosejus exemplo instructi caveamus, ne conscientiam nostram peccatis mortalibus gravemus, sed vitæ puritati studeamus, ut & ipsi cum Christo dicere queamus: Quis vestrum arguet me de peccato? Sive cum Jobo: Non reprehendit me cor meum in omni vita mea, Job. 27. v. 6. id jure convivium est, Prov. 15. v. 15. si enim cor nostrum nos non condemnaverit, fiduciam habemus ad Deum, 1. Joh. 3. v. 21. Quod si vero fiduciam ad Deum habemus, mundum minus pertimelcamus, quoniam major est, qui in nobis est, quam qui in mundo, 1. Joh. 4. v. 4.

2. *Ambitionem vita*. Ita enim Servator: Honorifico Patrem meum, & vos inhonoratis. Ego autem non quero gloriam meam. Sic & nos ad exemplum Christi omnia agamus ad gloriam Dei: non enim sibi

*no. huius triplici cautela n. in se homo  
ri possissent hoc regula: Mansuetudini stude, ex  
Ps. 49. collat. c. p. 48. In Jesu gaude, ex p. 56.*

homo potest sumere quicquam nisi ei fuerit datum de cælo, Ioh. 3. v. 27. ideo donis atque gratis Dei non superbiamus, sed cum Davide unice Deo accepta feramus, dicentes: Non nobis Domine, non nobis, Psal. 115. v. 1.

3. *Periculum declina.* Iudæi tulerunt lapides, ut jacerent in Iesum. Iesus autem abscondit se, & exivit de templo. Recte fecit Servator. Qui enim amat periculum, peribit in eo, Sir. 3. v. 28. En Ideam hodierni Evangelii, quomodo juxta Methodum nostram tractari potuisset!

Iam ad Passionis Dominicæ meditationem accedentes, tria porro dispiciemus.

- I. Est Fori mutatio.
- II. Pilati tergiversatio.
- III. Christi condemnatio.

J. J.

### Exegetis.

Quid congregati Patres in Concilio suo decreverint, in præcedentibus audivimus. Iam causam ad Pilatum, Romanum Præsidentem deferunt, ut iudicium in Consistorio Ecclesiastico latum exsequatur.

Ubi duo observanda:

1. *Christi traditio, descripta*  
 1. *Respectu Pompe.* Principes enim Sacerdotum & Seniores & Scribæ ipsi ad Pilatum pergunt, & Christum vincitum per Ministros & Lictores suos præmittunt. Hoc ipso populam, quem Christo favere noverant, deterrere, & Pilatum permoveere volunt, ut sine ulteriori inquisitione iudicium suum exsequatur: probe enim sciebant, si res ad juris stateram appenderet,

se causa adversus Iesum casuros esse.

Idem adhuc hodie evenire amat, ut divites, & in autoritate constituti, jus solis sibi debere opinentur, posuerunt in cælo os suum, & lingua eorum transivit in terra, Psal. 73. v. 9. Verum Christiani Magistratus, plus Deum in cælis, quam homines in terra respicere debent. Si peccaverit vir in virum, tum judicant Dii: si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo, 1. Sam. 2. v. 25.

2. *Respectu metæ.* Tradiderunt enim eum Pontio Pilato Præsidi. Iudæa jam sub peregrino Magistratu, Imperatore Romano degebat, qui eam in provinciam redactam per Præsides suos regebat: sicut eos Iosephus ex ordine enumerat. Primus fuit Cyrenius, sive Quitinius, sub quo Christus natus est. Secundus, Camponius. Tertius, Marcus Ambivius. Quartus Annius Rufus. Quintus, Valerius Gratus. Sextus, Pontius Pilatus, cujus hîc mentio injicitur. Hic Forchhemia Franconia oriundus fuisse dicitur. Hunc Tiberius Cæsar Præsidentem constituerat, eique summam rei commiserat, licet enim Iudæis iudicium Ecclesiasticum integrum esset, tamen executionem facere non poterant, sed eam ordinario Præsidi deferre tenebantur. Propterea & Christum ad Pilatum abducunt, & petunt, ut quæ muneris sui sunt, facere, eumque ceu maleficum pro merito punire velit, id ex majori autoritate actum iri putant, & populo terrorem incussurum, ne seditionem moveant, præcipue, quia haud ita dudum severam vindictam in Galilæos exercuerat, in quos sacrificantes impetum fecerat,

erat,

erat, eorumque sanguinem cum sacrificiis eorum miscuerat, Luc. 13. v. 1.

Sed nostrum in emolumentum id factum est. Per peccata enim sub potestatem tenebrarum deveneramus, Col. 1. v. 13. Diaboli mancipia facti, Hebr. 2. v. 15. Verum Christus in ipsa statim nativitate peregrino Magistratui se subjecit, videlicet Imperatori Augusto, Luc. 2. v. 5. deinde in passione suâ coram Pilato accusatus est, eoque nobis libertatem peperit. Joh. 8. v. 36. ut jam non ulterius servi peccati simus, sed genus electum, regale Sacerdotium, populus sanctus, 1. Petr. 2. v. 9.

3. *Respectu curæ.* Pontifices enim & Scribæ non introiverunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha. Quod peccatum non est, pro peccato habent, quod verò vel maximè peccatum est, id pro mera sanctimoniâ reputant, ut ipsis Christus nullam injuriam intulerit, quando eos cæcorum Duces & hypocritas appellavit, qui culices colent, & camelos deglutiant, Matth. 23. v. 24.

Tales hypocritæ adhuc hodie benè multi occurrunt, qui exterius sanctitatem simulant, & in causâ leviori compressam conscientiam habent: sed in sceleribus maximis gloriari amant, Jer. 15. v. 15. & malum manuum suarum dicunt bonum, Mich. 7. v. 2. hæc est generatio, quæ sibi munda videtur, & tamen non est lota à sordibus suis, Prov. 30. v. 12. Esa. 29. v. 13. Tit. 1. v. 16.

II. *Pilati inquisitio*, cujus notanda

1. *Præsentia.* Dum enim Judæi cum victo Jesu, manè suboriente diluculo ad prætorium veniunt, non diu expectare eundem coguntur, sed Pilatus jam tum adest,

Id indicat, eum præcedente nocte non Baccho litasse, sicuti eorum non pauci inveniuntur, qui per dimidiam noctem crapulæ indulgent, deinde in lecto hærent usque ad meridiem, ut partes controversæ tantisper expectare cogantur, & si tandem surgunt, vertigine capitis laborant, unde errant in videndo, impingunt in sententiis, Esa. 28. v. 7. Id Pilatus non fecit, sed ubi Judæi veniunt, ille in prætorio adest, accusationem eorum percepturus. Sic & Christiani Magistratus officii sui sedulam rationem habere fas est. Sunt enim Ministri Regni Dei, ideoque interrogabit opera illorum, & cogitationes scrutabitur, Sap. 6. v. 4. Rom. 12. v. 7. 8.

2. *Benevolentia.* Cum enim Judæi hæc incivilitate laborarent, ut prætorium ingredi nollent, Pilatus ad illos egreditur, licet subditi ejus essent. Ita Christiani Magistratus non potentiæ suæ confidant, dicentes: Sic volo, sic jubeo: sed semper recordentur verborum Siracidis: Quantum magnus es, humilia te in omnibus, Sir. 3. v. 20. 1. Petr. 5. v. 5.

3. *Prudentia*, quâ motus instituit examen,

1. *Respectu Cleri*, ubi obvia

1. *Causæ exploratio.* Quærit enim: Quam accusationem adfertis adversus hominem hunc? Pontifices putabant, se autoritate suâ Pilatum permoturum, ut indicta causâ Christum condemnaret, sicut ipsi in Consistorio suo sententiam tulerant. Verum id ipsi integrum non est, sed avert scire, quid Christus deliquerit. Hæc virtus in Magistratu laudem meretur. Priusquam interroges, ne vituperes quenquam, Sir. 11. v. 7. Prov. 17. v. 15.

2. *Pontificum expostulatio.* Malè enim habet illos, quod Pilatus ad latam ipsorum sententiam judicare renuit, idè expostulant cum ipso dicentes: Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissimus eum, q. d. Num pro ejusmodi Viris nos habes, qui injusta machinentur, & innocuum hominem ad mortem poscant, id nobis non imputabis. Nos causam satis ventilavimus, & post auditam accusationem & responsionem deprehendimus, hunc mortis reum esse, idè te oramus, ut sententiam à nobis latam, executioni dare, ne graveris.

Imprimis verò notandum est, quod eum vocant *κακοποιόν*, non qualemcunque, sed publicum, cui propter evidentiam maleficii, locus defensionis non sit concedendus, Hoc verò mendacium impudentissimum erat. Servator enim nunquam quicquam mali commiserat: id contestari poterant leprosi, quos mundaverat, cæci, quibus visum, surdi, quibus auditum, muti, quibus loquelam, mortui, quibus vitam restituerat, hinc populus exclamabat: Omnia benè fecit, Marc. 7. v. ult.

Perpicimus hîc, non rarè hominem homini falsum imputare, ubi verò demonstrandum erat, probatio vacillat. Idè Christiani Magistratus hîc à Pilato discant, ne omnia statim credant, sed probationem antè requirant, sæpè enim fit calumnia, Sir. 19. v. 15.

3. *Pilati reciprocatio.* Ubi enim Judæi indictâ causa Christum supplicio affici postulant, ille excandescens inquit: Accipite eum vos, & secundum legem vestram judicate eum: q. d. Si sufficit vestra examinatio, sufficiat etiam vestra sententia, ut Lyra

explicat: Equidem neminem sine sufficienti probatione morti adjudicare possum, ergò crimen morte dignum probate, aut amolimini vos hinc.

Rectè ita fecit Pilatus. Qui enim Magistratus munere fungitur, nullius autoritate permoveri debet. Non timido animo sis, quando sententia erit pronuncianda, Sir. 4. v. 9. & cap. 10. v. 31. 32.

4. *Judæorum excusatio.* Dixerunt ergò Judæi, nobis non licet interficere quendam: quo indicât, se Sceptrum amisisse, & sub Romano Imperio degere. En confidentes reos! interim tamen quod confectarium erat, non agnoscunt, nempe SLOH nunc advenisse, ut Iacobus dudum prædixerat, Gen. 49. v. 10.

In hâc cæcitate adhuc hodiè obstinatè pergunt, dum neglecto Iesu Nazareno alium Messiam expectant, verùm frustrâ alium prætolantur, dum ille ipse, quem speraverunt, venturus est die novissimo, dolores furoris sui divisurus omnibus, qui adventum ejus contempserunt, Iob. 21. v. 18. Nos verò Dei gratia scimus, cui credamus, 2. Tim. 1. v. 12. Invenimus enim Messiam, quem scripsit Moses in Lege & Prophetæ, Ioh. 1. v. 45. Is nobis à Patre factus est sapientia & justitia, & sanctificatio & redemptio, 1. Cor. 1. v. 30. Qui credit in eum, justus est, Rom. 10. v. 4.

5. *Nova accusatio.* Quia enim animadvertunt, Pilatum Christum indictâ causa condemnare nolle, idè novam accusationem inferunt, quæ tribus membris absolvitur:

1. Imputant ei, quod velut hæreticus gentem subverterit, & à Molaicâ doctrinâ abduxerit.

2. Quod

2. Quod prohibeat tributa dari Cæsari.

3. Quod Regem se fecerit. Quia igitur tam contra Ecclesiasticas quam Politicas constitutiones peccaverit, ideò petunt, ut imposterum hunc è medio tollat, & merito supplicio afficiat.

Verum meræ falsæ imputationes, & mendacia erant. Ipsi enim eorum Legati testimonium ei dabant, quod verax sit, & viam Dei in veritate doceat, Matth. 22. v. 16. Idem nomine omnium confitetur Nicodemus, Johan. 3. v. 2. imò paulo antè præsentibus Herodianis mandaverat, dare Cæsari, quæ sunt Cæsaris, Matth. 22. v. 21. Ipse quoq; didrachmam in Capernaum dederat pro se & Petro, Matth. 17. ult. Et ubi populus post miraculosam cibationem eum Regem facere volebat, fugit in montem ipse solus, Joh. 6. v. 15. Hoc non attentò, eum hæreticum & seditiosum accusare non dubitant.

Idem adhuc hodie evenit piis Christianis, ut calumniis innocenter illi subindè onerentur, Sir. 28. v. 22. Sed declinemus hoc flagitium. Opprobrium nequam in homine mendacium, Sir. 20. v. 26. Pariter & calumnia grave peccatum est, contra octavum præceptum. Non facies calumniam proximo, Levit. 19. v. 13. Qui non detraxit in lingua suâ, is habitabit in tabernaculo tuo Domine, Psal. 15. v. 1. 2. Ex quo consequitur, mendacem non posse esse membrum militantis hujus, nec triumphantis in cælo Ecclesiæ, sed partem habiturum in stagno, ardente sulphure & igne, Apoc. 21. v. 8.

II. Examen instituit Pilatus, respectu Christi. Auditâ enim accusatione, revertitur in prætorium, eam Christo proponit, ejusque responsonem expectat. Ubi tria notanda;

1. *Thema controversum.* Ut enim antea indicatum, tria ipsi impingebant; Primò quod velut hæreticus gentem subverterit, & à Mosaica doctrinâ abduxerit. Deinde tributum dari Cæsari prohibuerit: & tertio se Regem fecerit. Omissis prioribus duobus capitulis, tertium potissimum Pilatus urget, ideò quærit Christum: Tu es Rex Judæorum? Noverat ille, Judæos flagranti desiderio Regem expectare, qui illos à Romanorum jugo liberaret, & in pristinam libertatem assereret, idcirco quærit Christum, utrum Rex ille sit, quem Judæi hæctenus desiderarint.

Idem adhuc hodiè Magnatibus familiare est, ut omnia consilia sua ad statum Politicū conservandum dirigant, Scholas verò & Ecclesiam negligant. Verùm per-versa hæc res est. Ubi enim homines offentes, qui Reip. præesse possint, nisi in scholis & templis ante in pietate & artibus instruuntur. Cum Prophetia defecerit, rebellis fit populus, qui verò custodit legem, beatus est, Prov. 29. v. 18.

2. *Christi responsum, quod datum*

1. *Per interrogationem:* Respondit enim Jesus: A temetipso hoc dicis, an alii tibi dixerunt de me? q. d. Cur hanc quæstionē instituis? Rectè me modò intuere, certè nihil in me reperies, quod speciem Regis habeat, & quidem ejusmodi, qui Cæsari metuentus. Quod si verò ab aliis ita persuasus es, quod Imperatoris Regalia in vasurus, eumque planè de Regno dejecturus sim, nõ verosimile id tibi videri potest. Pilatus ex candescens respondet: Nunquid ego Iudæus sum? Gen tui & Pontifices tradiderunt te mihi: quid fecisti? q. d. Nõ abs re tamen sit oportet, quod adeò te tractent, te singulare quid commississe, valde probabile judico.

Vide-

Videmus hic, Christum quidem in ser-  
vi formâ coram Pilato stare: interim ta-  
men & gloriam suam in profundissimo  
exinanitionis statu indicat, dum Pilatum  
animose affatur, & velut Dominus omni-  
um Magistratum, conscientia ejus sti-  
mulum immitit, erat enim innocens, im-  
pollutus, segregatus à peccatoribus, Hebr.  
7.26.1. Pet. 2.22. idèd eò còfidentius se put-  
gare potest, ad nostram instructionem, ut  
si & nos falsò accusemur, cogitemus, Ser-  
vatori nostro idem accidisse, & quia non  
patimur, quasi homicidæ aut fures, aut ma-  
lestici, non immoderatè feramus, sed glori-  
ficemus Deum in isto nomine, 1. Petri. 4.  
v.15.

2. *Per limitationem.* Utique Pilate, sum  
Rex, sed non terrenus, qualem me Pontifi-  
ces accusant, sed spiritualis & cœlestis. E-  
go in hoc natus sum, & ad hoc veni, in  
mundum, ut testimonium perhibeam ver-  
itati. Omnis qui est ex veritate, audit vo-  
cem meam.

Hæc bona illa confessio est, quam Chri-  
stus coram Pilato edidit, ut Paulus appel-  
lat, 1. Tim. 6. v.13. ideo aureis characteri-  
bus eam cordi nostro inscribamus, ne un-  
quam ejus obliviscamur.

Si Christus Rex, nos omnimodum Re-  
giùm honorem ipsi debemus. Atqui Rex  
est, & quidem ille ipse, de quo Pater ejus  
cœlestis: Constitui Regem meum super  
Sion, montem sanctum meum, Psal. 2. v.6.  
Rex gloria, Psal. 24. v.7. per quem Reges  
regnant, & legum conditores justa decer-  
nunt, Prov. 8. v.15. ideo debita reverentia  
& subjectione ei obviemus, dicentes: Non  
nobis Domine, non nobis, Psal. 115. vers. 1.  
Confer Apoc. 4. v.11,

Si Christus spiritualis Rex: lætare hinc  
ex animo. Alii Reges multis copiis hostibus  
occurrere tenentur: sed hic Rex, verbo &  
Sacramentis plus efficit, quam Alexander  
M. omnibus suis copiis. Verbum enim ejus  
est vivum & efficax: & penetrantius omni  
gladio ancipiti, Hebr. 4. v.12.

Alii Reges subditos suos terrenis Privi-  
legiis & immunitatibus ornant: Sed hic  
Rex meros spirituales thesauros & dona  
affert, nempe, justitiam quæ coram Deo  
valet, remissionem peccatorum, vitam &  
salutem. Liberat nos à peccato, morte, Dia-  
bolo, & inferno. Si Filius vos liberaverit,  
verè liberi estis, Joh. 8. v.36.

Alii Reges eò spectant, ut pacem subdi-  
tis suis conservent. Concordiã enim res  
parvæ crescunt, discordiã magnæ dilaban-  
tur. Sed hic Rex spiritualem nobis consci-  
entia pacem peperit, quæ exsuperat om-  
nem sensum & intellectum, Phil. 4.7. Justi-  
ficati enim fide pacem habemus, Rom. 5.1.

Quodsi Christus Rex cœlestis, & tu  
cœlestia quære, Phil. 3. v.14. Col. 3. v.1.2.

Si peccatorum moles te premit, ut cum  
Paulo queri cogaris, scio quod in me nihil  
boni habitat, Rom. 7. v.19. audi Christum  
dicentem: Regnum meum non est de hoc  
mundo. Ideo mirandum minime est, quod  
in mortalitate hæc peccatum tibi adjaceat,  
Aliud Regnum imminet, in qua justitia di-  
ligitur, Psal. 99. v.4. nec peccatum ampli-  
us nobis dominabitur, Rom. 6. v.12. eti-  
mus enim *is d'z zelos*, Matth. 22. v.30.

Si in pauperie constitutus, querelam in-  
geminare teneris: Quid edemus, quid bibe-  
mus, aut quo operiemur? Matth. 6. vers.  
31. recordate verborum Christi: Regnum  
meum

meum non est de hoc mundo. Non consistit illud in cibo potu & abundantia, sed in iustitiâ, pace & gaudio Spiritus sancti; Rom. 14. v. 17. Qui igitur hic plorat, ibi gaudebit, & qui hic eturit, ibi satiabitur, Psal. 34. v. 11.

Si calamitatibus omninò immerfus, cum Jobo queri cogaris: Si appenderetur afflictio mea in statera, Job. 6. v. 3. Christus iterum tibi ingeminat: Regnum meum non est de hoc mundo. Qui vult discipulus ejus esse, tollat crucem suam & sequatur eum, Matth. 16. v. 24. In Regno Christi demùm complebuntur dies luctus nostri, Esa. 60. v. 20. Absterget ille omnem lacrymam de oculis nostris, Apoc. 7. v. ult.

Si mortem horrescis, qui animam & corpus separat, qua consumitur tanquam à tineâ pulchritudo nostra, Psal. 39. v. 13. Audi, quid Christus dicat: Regnum meum non est de hoc mundo. Alia adhuc vita restat, ubi mors non amplius erit, Apoc. 21. v. 4. sed abundantia gaudiorum, Psal. 16. v. 11.

3. *Pilati ludibrium*, qui ait: Quid est veritas? q. d. O bone vir! si Hierosolymis veritatem liberè vis profiteri, gratia tibi parva erit. Obsequium amicos, veritas odium parit.

Tales illusores adhuc hodiè in medio Christianorum occurrunt, quorum Symbolum est: Posuimus in mendacio spem nostram, & in mendaciò protekti sumus, Esa. 28. v. 15. hinc etiam est, quod conversum est retrorsum iudicium, & iustitia longè stetit, quia corrui in platea veritas, & æquitas non potuit ingredi, Esa. 59. v. 14. mò sæpè se abscondere tenetur, à filiis se-

culi, dicentibus: Loquimini nobis placentia, videte nobis errores, Esa. 30. v. 10.

Veros quidem Christianos quoque querere expedit: Quid est veritas? sed longè alio sensu, ut eam sedulò sequantur, non modò cum Christo orantes: Sanctifica nos sanctissime Pater, in veritate tuâ, sermo tuus veritas est, Joh. 17. v. 17. sed & in vitâ communi deponentes mendacium, & loquentes veritatem, unusquisque cum proximo suo, Eph. 4. v. 25. Qui hæc facit, non movebitur in æternum, Psal. 15. v. ult. & post hæc tempora comperiet, omnia, quæ Deus fidelibus suis promisit, fore Etiam & Amen, 2. Cor. 1. v. 20.

De Secundo.

**P**Rogrediemur nunc ad secundam partem, *Pilati tergiversationem spectaturi.*

Hanc indicavit

1. *Herodem salutandò*. Ubi observanda

1. *Occasio*, ad quam spectat

1. *Publica Christi excusatio*. Ait enim ad Principes Sacerdotum, & turbas: Nihil invenio causæ in hoc homine. Hæc causa est, ob quam iudicium hoc subterfugit. Etsi enim Ethnicus erat, non tamen ignorabat, neminem innocenter damnandum esse, quia verò sine dubio à Judæis corruptus erat, illis indignationem movere non vult, sed id meditatur, quomodo rem à se declinet, & ad alium devolvat. Iccirò Christiani Magistratus, donaria ad promotionem iniquitatis capere non debent, Xenia enim & dona excæcant oculos iudicum, Sir. 20. v. 31.

2. *Continua Judæorum accusatio*. Nam Principes Sacerdotum, Seniores & Scribæ

bb

per-

perrexerunt eum accusare, dicentes; Commovet populum, docens per universam Judæam: exorsus à Galilæa usque huc. Pontifices urgent commotionem populi, quia hoc Pilatum, tanquam ordinarium Præsidem potissimum concernebat; ideoque vigilare tenebatur. Et quòd hanc imputationem eò magis exaggerent, eum non in pago vel civitate quadam prædicasse affirmant, sed incepisse in Galilæa, & pervenisse usque Hierosolymam, ita ut nemo non ipsi adhærescat, & nisi maturè rei consulatur, publica seditio pertimescenda sit.

Hic discimus, impios non facilè reverti, si semel in viâ ad gehennam, currant. Sicuti enim non facilè cursum inhibere possumus, si monte decurramus, ita nec peccandi impetus facilè reprimitur, si semel ejus initium factum est, sed transitur de iniquitate ad iniquitatem, Rom. 6. v. 19. donec in profundum & exilium deveniatur, ex quo nulla redemptio, Plal. 49. v. 15.

3. *Tacita Christi insciatio.* Cum enim accusaretur à Principibus Sacerdotum & Senioribus, nihil respondit. Et licet Pilatus ipse ei dicat: Non audis, quanta adversum te dicunt testimonia? non tamen movetur, ut respondeat ei ad ullum verbum, ut miraretur Præses vehementer. Hoc ipso nos instruere voluit, quod & tempus tacendi sit, Eccl. 3. v. 7. Quod si verò à falsis testibus impetitur, licet quidem licito modo se defendere: at malum pro malo, & maledictum pro maledicto non reddere, sed è contrario benedicamus, quia in hoc vocati sumus, ut benedictionem hæreditate possideamus, 1. Petr. 3. v. 9.

2. *Persuasio,* cur Christum ad Herodem abduci voluit, quæ gemina fuit,

1. *Galilæa mentio.* Exorsus enim, ajunt, in Galilæa, & doctrinam suam propagavit, usque huc. Galilæi præ aliis ad seditionem proclives erant: quia verò Dominus ibidem maximè docuerat, ideo hoc ipso eum insimulare volunt, ac si illos ad eam instigasset, imprimis verò Pilatum commonent, ut facem & tubam hanc omnis seditionis merito supplicio afficiat.

Ita semper sese res habuit, ut si res adversæ ingruerint, id Christo ejusque Evangelio imputatum fuerit. Ad eundem modum, sicut olim Judæi dixerunt: Ex eo tempore, quo cessavimus sacrificare Reginæ cæli &c. Jer. 44. v. 18. 19. Verùm id nos non absterreat: Evangelium est *verbum Crucis*, 1. Cor. 1. v. 18. sed & *verbum Lucis*, quod animas nostras salvare potest, Jac. 1. v. 21.

2. *Herodis jurisdictio:* non magni illius, qui aliàs Alcalonita dictus est, sed Antipæ, qui Johannem Baptistam capite truncari jussit, Marc. 6. v. 16. Is erat Tetrarcha Galilææ, ideo Pilatus jurisdictionem ejus violare non vult.

In hoc non aberravit Pilatus. Quæcunque enim non vultis ut faciant vobis alii, eadem nec vos facite illis, Matth. 7. v. 12. Adhuc hodie quilibet *πολυπραγμοσύνην* fugere & vocationi suæ insistere debet. Plura enim super sensum hominis ostensa sunt cuilibet, Sir. 3. v. 25.

3. *Tractatio,* quam manifestat

1. *Herodis latitia,* super quâ annotat Lyra: *Gavisus est, non propter devorionem, sed propter curiositatem.* Id vocat Theophylactus *stultum gaudium:*

Sic adhuc hodie evenire amat, si festa solennia instent, uti quidem Herodes propter

pter Pascha celebrandum Hierosolymam accesserat: at verò, ubi homines de Christo & ejus beneficiis lætari debebant, potius voluptatem quærunt in eleganti habitu, cibo, potu, ambulatione, aliisque delitiis. His satius foret, Christum nunquam vidisse. Damnatio eorum die novissimo eò gravior erit; Luc. 12. v. 47.

2. *Supina nequitia*, quæ detegitur,

1. *Ex miraculorum desiderio*. Sperabat enim signum aliquod videre ab eo fieri, sicut videmus in spectaculis præstigiatores apparere, qui devorant serpentes, & gladios & similia, addit Theophylactus.

Hinc elucescit, quomodo ut plurimum illi, qui verbo Dei fidem non habent, signa petant, cum tamen signa non salveat, sed verbum Dei hâc virtute polleat, ideò rectè facimus ei attendentes, 2. Petr. 1. v. 19. imprimis quia & de Pseudo-Prophetis prædictum est, quod signa magna & prodigia daturi sint, Matth. 24. v. 24.

2. *Ex questionum cumulo*. Quid Dominum interrogaverit, non exprimitur, sine dubio autem, de variis rebus curiosas quæstiones movisse eum, probabile est: De statu animæ post mortem, quando dies extremus adventurus sit, quid Deus ante conditum mundum fecerit, item, an ipse is sit, quem nova stella portenderit, quâ ratione tot signa & miracula patravit, an Baptista in vitam redierit, & an anima ejusdem in eum migraverit, utrum invisibilem se redere possit, vel aurum conficere, & id generis alia. At Christus nihil illi respondebat. *Quid enim responderet illi, qui non interrogat, ut discat? quid margarita ante porcos?* Theophylactus commodè addit.

Nobis hoc ad imitationem inserviat, O

multæ sunt insidiæ dolosi, Sir. 11. v. 37. Multi quærunt, ut nobis incommodum creent, à talibus nobis caveamus, quia insidiantur quasi aucupes, laqueos ponentes, Jer. 5. v. 26.

3. *Ex aulicorum ludibrio*. Sprevit autem illum Herodes, cum exercitu suo. Id procul dubio graviter afflixit Dominum, attamen magnâ patientia suffert: Ad nostram instructionem, si nobis quoque accidat, ut anima nostra repleta sit sublannatione opulentum, & despectione superbiorum, Psal. 123. v. 6. ut solatium ex ludibrio Christi capiamus, recordantes, quod aliquando aliud tempus venturum sit, ubi stabimus in magna constantiâ adversus eos, qui nos angustiarunt, Sap. 5. v. 1. & seqq.

4. *Ex vestitu candido*. Illudit enim eum veste albâ indutum. Hoc nos velut signum innocentiae ejus inspicimus, sicut color candidus apud gentiles quoque pro tali habitus fuit. Hoc ipso nobis acquisivit, ut & nos aliquando byssino candido induamur, Apoc. 19. v. 8. tùm in Deo exultabimus, quasi sponsus Sacerdotali ornatu, & quasi sponsa ornata monilibus suis, Esa. 61. v. 10. Ibi implebitur, quod in Cantico dicitur: Tota pulchra es amica mea, veni, coronaberis, Cant. 4. v. 7. 8. Apoc. 2. v. 11.

5. *Ex contemptibili repudio*. Remisit enim illum ad Pilatum. Ita adhuc hodiè Servator Ecclesiam habet ambulatoriam, & cum Evangelio suo transit de gente ad gentem, & tamen multis terris peragratis, vix invenit locum in diversorio, Luc. 2. v. 7. Imprimis verò in aula non admodum acceptus est, sed crapula, ebrietas, scortatio, & alix mundanæ

vanitatis ibi palmam obtinent; ideoque & verbi Præcones ibidem tenui in pretio habentur, sed si peccata illi debito zelo reprehendunt, hanc gratiam ferunt: Heus tu videns, abi, Amos 7. v. 12.

Exeat igitur aulâ, qui volet esse pius, Lange zu Hoff / lange zur Höll. Quod si verò id vocatio alicujus requirat, videat cum Daniele, ne à pietate abducatur, Dan. 6. v. 10. ubique enim Deo serviri potest, modò timeas Deum & justitiam opereris, Act. 10. v. 35.

3. *Nova amicitia.* Hinc S. Lucas: Et facti sunt amici Herodes & Pilatus in ipsa die: nam antea inimici erant ad invicem.

Pilatus impetum fecerat in Galilæos, quorum sanguinem miscuerat cum sacrificiis eorum, Luc. 13. v. 1. Hoc ipso valdè commoverat Herodem. Neque enim violationem Jurisdictionis suæ ferre poterat, hinc illæ iræ & inimicitia! Quia igitur Pilatus non ignorabat, quod eum per hoc offenderat, Christum nunc ablegat ad eum, quem Pontifices accusaverant, quod in Galilæâ prædicationem suam exorsus fuisset, quo ipsi adulabatur, & placare cogitabat: sicut quoque Herodi id ad eum artisit, ut indignatione pristina abjecta, cum Pilato in gratiam redierit. Hinc Gregorius: Conveniunt duo lupi, ad capiendam unam ovem. Verùm per hoc ipsum præfiguratus est fructus passionis Christi. Sicut enim Pilatus & Herodes super Christo amici facti & reconciliati sunt: ita & nos ipsi unice debemus, quod nos Patri ejus reconciliati simus, pacificari per sanguinem crucis suæ per seipsum, Col. 1. v. 20. ideo dicitur quoque, Princeps Pacis, Esa. 9. v. 7.

4. *Remonstratio, Judæis facta*

1. *Per convocationem,* non modò Principum Sacerdotum, & Magistratum, sed & plebis. Quia enim Pilatus animadvertabat, Clericorum Chorum nimis exacerbatum esse ad verus Christum, non solum cum ipsis loqui vult, sed & populum advocat, utrùm inter illum, unus & alter fortè inveniat, qui cum innocentia Christi commiserationem habeat. In gravi enim hac causa populus non excludendus videbatur.

Ita nec hodiè populus excludendus est, in rebus Remp. concernentibus, ad cuius conservationem omnes pro facultatum modulo contribuere tenentur, quidni & consilium eorum, pro re nata adhibendum esset?

-- Est olitor quandoq; oportuna locutus; & inventus est vir pauper & sapiens, qui liberavit urbem, per sapientiam suam, Eccl. 9. v. 15. 16.

2. *Per exprobrationem,* dum Principibus Sacerdotum falsam accusationem objicit: Obtulistis, inquit, mihi hunc hominem, quasi avertentem populum, q. d. Nonne pudet vos, rem manifestò falsam ad me deferre, ejusque executores me implorare? Ne persuadeatis vobis, me conscientiam meam tam temerè sauciaturum esse.

Quod si Magistratus adhuc hodiè partes controversantes officii sui seridè admoneat, multæ inutiles actiones omitti possent, quæ Procuratoribus maximo lucro sunt. Tandem ubi utrinque damnum sentitur, reconciliatio proponitur. Hoc verò non ex re Reip. est, quam Christiani Magistratus præcipuè intendere debent. Edificatio civitatis confirmabit nomen, Sir. 40. v. 19.

3. *Per excusationem,* quâ remittit eos

4. Ad

*I. Ad publici examinis curam.* Ecce, inquit, ego coram vobis interrogans, nullam causam inuenio, in homine isto, ex his, in quibus eum accusatis. Johannes quidem, Præsidentem Pilatum examen hoc cum Christo solo in prætorio instituisse, memorat, quod & verum: Sed postea ad Principes Sacerdotum & Seniores eductus est, ubi denuo gravem dicam ei impeerunt, eamque probare sategerunt: sed minus convenienter, ita ut Christus quod præferrebant nulla responsione dignum iudicaverit. Quod valde Præsides admiratus est, ideoque hic nullam se in eo culpam invenire publice profiteretur.

Id omnes ad consolationem nostram observemus.

Nos omnes in corruptione sumus, Sir. 2. v. 6. ideoque quotidie remissionem peccatorum petere tenemur, ut Christus nos in Oratione Dominica docuit, Matth. 6. v. 11. hanc per innocentiam Christi impetrare possumus, quem Deus ideo pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iustitia Dei in ipso, 2. Cor. 5. v. ult.

*2. Ad Herodis censuram.* Sed neque Herodes, inquit, nam remisit vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum est ei. Ita Iudæi ubique turpiter steterunt. Putarunt illi, si Christum ab uno iudice ad alium traherent, se Servatorem omnibus exosum reddituros esse. Verum hoc ipso innocentia ejus ed manifestior fit, ut non temere dicas: Cogitarunt illi de Christo malum, sed Deus vertit illud in bonum, Gen. 50. v. 20.

*3. Oblata castigatio.* Et ecce, ait Pilatus, nihil dignum morte actum est ei: castiga-

tum ergo illum dimittam. Hæc summa erat injuria. Si innocens, cur ipsum non absolvit? si flagra promeruit, cur innocentem pronunciat? ait Bernhardus.

Ita evenire amat, si iustitia posthabeatur, & hominibus quicquam concedatur, quod Deo & verbo ejus contrarium est. Diabolus enim Spiritus versutus est, qui in minimis ipsi obsequitur, illum ad majora traducere potest. Pilatus Christum se castigatum pollicetur. Id iniquum erat. Tandem eum Diabolus ed adigit, ut eum cruci suffigi & occidi jubeat.

Interviat id nobis in dehortationem, ne declinemus à verbo Dei, neque ad dextram neque ad sinistram, Esa. 30. vers. 1. Psal. 119. v. 9.

*II. Antiquam consuetudinem allegando:* juxta quam Pilatus tenebatur quendam ex captivis dimittere. Hoc ipso memoriam miraculosæ educationis ex Ægypto recolare, simulque devotionem contestari volebant, se cum captivis & vinctis commiserationem habere. Verum præpostera erat consuetudo. Auferes malum de medio tui: ut audientes ceteri timorem habeant, & nequaquam talia amplius facere audeant in medio tui, Deut. 19. v. 20.

In hac consuetudine occurrit

*1. Barraba cum Christo comparatio.* Barrabas erat *in istis*, nobilis, illustris nebulosus & homicida. Sicut & nomen ejus indicat: interpretatur enim, *Filius Patris corupti*. Quis vero Iudæorum Pater? ille, quem Christus designaverat: Vos estis ex Patre Diabolo, Joh. 8. v. 44. Est igitur Barrabas filius Diaboli, qui erat propter seditionem quandam factam in civitate & homicidium missus in carcerem, Christus vero peccatū

non fecerat, nec inventus fuerat dolus in ore ejus, 1. Petr. 2. v. 22. sicut Pilatus ipse testimonium illi impertit, quod causam mortis in eo nullam inveniatis, interim utrumque hic præsentat, quasi uterque mortis reus esset.

Hoc nostri causa factum est: Hoc ipso enim Christus nobis impetravit, ne ut fures & latrones extrudamur: sed ut Filii Dei dilecti in domum Patris cælestis suscipiamur, ubi Christus nobis per abitum suum ad Patrem, locum paravit, Joh. 14. vers. 2.

Interea hic exemplum habemus, quo nos confirmemus, quando nos quoque deteriores paganis habemur, & aliis nefandis hominibus iniquius tractamur. Hic solatium sit bona nostra conscientia, quod non patiamur, tanquam fures & homicidæ, sed Christiani, 1. Petr. 4. v. 15. Certissime aliquando tempus veniet, ubi Christus non Barrabam, sed pios à dextris suis sistet, alloquens eos: Venite benedicti Patris mei, Matth. 25. v. 34.

2. *Optionis in manus populi resignatio.* Congregatis autem Judæis dixit Pilatus: Quem vultis, dimittam vobis: Barrabam, an Jesum, qui dicitur Christus. Pilatus meliora quæque de ipsis sperat, nec adeo stolidos eos habet, ut publicum homicidam præferre Christo ausint, ideo inquit quem vultis, dimittam vobis? En egregium judicem! qui in populi arbitrio ponit, quid facere aut omittere debeat, & quidem in re capitali, quæ sanguinem hominis concernit, qui innocenter effusus vindictam expetit, Gen. 4. v. 10. Ideo Christiani Magistratus hic caute agant oportet, ne ad gratiam jus dicant, sed secundum leges pronunciant,

sicut id coram Deo, mundo & propria conscientia purant probari posse. Excelsior enim excelso est custos, Eccles. 5. vers. 8. qui interrogabit opera illorum, Sap. 6. v. 6.

3. *Liberationis Barraba flagitatio.* Ubi notetur

1. *Pontificum impulsus*, qui persuaserunt populo, ut peterent Barrabam. O quoties adhuc hodie fit, ut simplicioribus à Præpositis Ecclesiasticis persuadeatur aliquid facere, quod alias non fecissent. Eo sine Laicis in Papatu lectio Scripturæ interdicta est, quo unice à nutu clericorum illi dependeant. Verum ratio aliquando exigetur strictissima. Omnem enim sanguinem perditum requiret Deus de manu eorum, Ezech. 3. v. 20.

2. *Populi consensus.* Persuasi enim omnes clamaverunt: Non hunc, sed Barrabam.

Hæc impia stultitia erat. Homicidam enim dimitti petunt, Ducem vero vitæ occidi. Nos idem sæpe adhuc hodie facimus, ut si Deus nobis proponit vitam & mortem, mortem pro vita eligamus, & ita petulantem nos in æternum exitium præcipitemus, Sir. 15. v. 18. Vere ergo ex te perditio tua Israël, Os. 13. v. 9. 10.

4. *Pilati refragatio.* Dixit illis iterum Pilatus: Quid igitur faciam de Jesu, qui dicitur Christus? Dicunt omnes: Crucifigatur. At illis Præses: Quid autem mali fecit? Nullam causam mortis inveniō in eo. Corripiam ergo illum & dimittam.

Hic audimus, Pilatum adhuc semel Christo testimonium innocentiae dare, ideo ansam quærit, quomodo eum absolvat. Id effecit

1. Pontificum livor. Sciebat namque Pilatus, quod per invidiam tradidissent eum summi Sacerdotes. Hoc turpe vitium est, quod operibus carnis adnumeratur, quæ qui faciunt, Regnum Dei non hæreditabunt, Gal. 5. v. 20.

Fugire hoc vitium: Ubi enim invidentia regnat, caritas non est, caritas enim non æmulatur, 1. Cor. 13. v. 4. ubi caritas non est, ibi quoque fides non est, fides enim per caritatem efficax est, Gal. 5. v. 6. Ubi fides non est, conscientia quoque bona non est, fides enim purificat corda, Act. 15. v. 9. Ubi bona conscientia non est, ibi nec fiducia ad Deum est, si enim cor nostrum nos non condemnaverit, fiduciam habemus ad Deum, 1. Joh. 3. v. 22. ubi fiducia ad Deum non est, ibi nec vita, nam in Deo vivimus, movemur & sumus, Act. 17. v. 28. Ubi vita non est, ibi nec salus, nam salus est vita æterna, Sap. 5. v. 16.

2. Uxoris maror. Sedente enim illo pro tribunali, misit ad eum uxor ejus, dicens: Nihil tibi & justo illi; multa enim hodie passa sum in somnis propter eum. Hic somnus divinus fuit, quo Deus mulieri quoque huic gentili innocentiam Christi manifestare voluit, an Pilatus, qui mediocriter se hætenus gesserat, commonitione uxoris à Christi condemnatione retrahi posset.

O quam bene fecisset Pilatus, si admonitioni locum reliquisset. Etsi enim vir caput est mulieris, Eph. 5. v. 23. attamen illi Deus mulierem in adiutorium dedit, Gen. 2. v. 18. ideo consilium ejus despiciere non debet, si videt, illud è fido corde manare. Quid prudens illa Abigail respectu Nabalis effecerit, constat ex 1. Sam. 5. v. 26. & seqq.

5. Clamoris universa multitudinis præponderatio. Clamabant enim aliquoties dicentes: Crucifige, crucifige eum. Pilatus dicebat: Quid enim mali fecit iste? Nullam causam mortis invenio in eo. At illi magis clamabant: crucifige eum: Et instabant vocibus magnis, postulantes ut crucifigetur: & invalescebant voces eorum, & summorum Pontificum.

O nefandam malitiam & ingratitude- nem!

Piissimus Servator Majores eorum Ægypto eduxerat, & præsentissima morte liberarat. Civibus Hierosolymitanis viam ad cælum ostenderat, præterea multos infirmos insanabiles sanaverat, & ita multa & amplissima beneficia illis exhibuerat. Verum quam gratiam reportavit? Non aliam quam hanc, quod ad crucem eum postulaverint.

Nos vitium hoc declinantes, beneficium rependamus iis, qui nos beneficiis affecerunt. Non enim bene erit, beneficia non compensanti, Sir. 12. v. 3.

III, Castigationem realiter procurando. Quia enim consilium illud, de antiqua consuetudine, juxta quam illis captivum in Paschate dimittere solebat, non succedebat, aliud medium & quidem iniquissimum ille arripuit, & Christum, quem tamè sæpissime innocentem pronunciaverat, miseris modis tractari jubet.

1. Per flagellationem. Tunc ergo apprehendit Pilatus Jesum, & flagellavit, non immediate per seipsum, ut Lyra annotat, sed per milites suos & ministros. Id sane satis crudeliter effectum est, ut non modo, veluti Paulus, quadragenas una minus plagas acceperit, 2. Cor. 11. 24. sed tam frequen-

tes,

tes, ut sanguis de toto corpore largiter manarit. Conqueritur de hoc ipse, inquit: Super dorsum meum araverunt aratres, longos duxerunt sulcos suos, Psal. 129. vers. 1.

Flagellatio hæc Servatoris suppeditat nobis,

I. Solamen,

1. *Contra mortis reatum.* Ipse enim vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, Esa. 53. v. 5. Jam habemus redemptionem in sanguine ejus, nempe remissionem peccatorum, Col. 1. v. 14.

2. *Contra inferni hiatus.* Peccatis nostris merueramus, ut carnifices infernales flagellis ignitis in æternum nos lacerassent & cæcidissent: Sed quia Christus in fontem se hic flagellationi subjecit, nos jam liberi sumus, & nulla condemnatio est in iis, qui in Christo Jesu sunt, Rom. 8. v. 1.

II. *Medicamen,* præcipue contra impatientiam, quæ nonnunquam sub cruce adeo invalescit, ut murmuremus dicentes: Quare factus est dolor noster perpetuus? Jer. 15. v. 18. Quod si enim plagas hæc per flagellationem inflictas penitius intuemur, quas patientissimus Servator magna patientia, propter nos sustinuit, animas nostras eò melius in patientia custodire, & cum Gregorio dicere possumus: *Si non exivit sine flagello, qui sine peccato venit: quomodo flagello digni non erunt, qui in peccato vivunt?* Ideo filii, noli negligere disciplinam Domini: quem enim diligit Dominus castigat. Hebr. 12. v. 5. seqq.

2. *Per coronationem.* Milites enim ple-

ctentes coronam de spinis, posuerunt super caput ejus.

Hic perpende, mi Christiane! quantum Servator propter te dolorem sustinuerit. Nulla matercula tanto dolore liberos suos parit, quantos cruciatus Christus pertulit, dum nos Filios Dei regenerit, initiaverit & sanctificaverit. Caput ejus spinis laceratum, & facies ejus cruore perfusa est, ut non immerito conqueratur: Servire me fecisti in peccatis tuis, Esa. 43. v. 25. ideo passionem ejus non flocci æstimemus, sicut illi faciunt, qui Jesu cruciatum nefandis imprecationibus ore evomunt, Deiq; martyrium in alios provocant, aut Passionem despiciunt, dum eam audire negligunt. Ejusmodi homines crucifigunt Filium Dei rursum, & sanguinem testamenti impollutum ducunt, in quo sanctificati sunt, Hebr. 6. v. 6. c. 10. v. 28.

Ad dilecti! Omnia in nostrum emolumentum facta sunt. Adam primus patens noster, coronam Dei invaserat, & dignus fuisset, ut ille & nos cum ipso, corona picea in igne infernali coronati fuisset: Sed per hanc spineam coronam Servator nobis immarcescibilem gloriæ coronam acquisivit, de qua Augustinus ait: *Acquiri potest, æstimari non potest.* Hæc est corona vitæ, Apoc. 2. v. 11. quam promisit diligentibus se.

Quod si vero gloriæ hac corona insigniri volumus, spineam quoque coronam, si quandoque nobis imponatur, cum Christo subterfugere minus debemus. Pudeat membrum deliciari, sub capite spinis coronato, Bernhardus. Si Christo convivemus, ipsi prius commoriamur oportet, 2. Tim. 2. v. 11.

3. *Per*

1. *Vestes exuunt.* Hæc magna ignominia fuit. Cum David ante arcam læderis tripudiatet, & ventus paululum vestes ejus sublevaret, Michol uxor ejus eum propterea irridebat, dicens: Quam gloriosus fuit hodie Rex Israël, 2. Sam. 6. v. 20. Sic Protoplasti nostri pudore suffundebantur, cum senudos deprehenderent, & consue- runt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata, Gen. 3. v. 7. Susanna ancillas suas à se ablegabat, cum selavatura esset, Hist. Susan. v. 19. Ideo procul dubio vehementer Dominum afflixit, quod impii milites eum vestibus ita nudarunt.

Hanc nuditatem nostri causa pertulit, ut nobis togam justitiæ compararet, quam infernales latrones per Protoplastorum lapsum exuerant. Nunc non amplius nudi apparere, sed turpitudinem nostram contegere possumus, quando nos Dominus aliquando ad tribunal suum vocabit, Apoc. 3. v. 17.

2. *Purpuram induunt.* Purpura olim Regius habitus erat. Quia igitur Christus coram Pilato Regem se professus fuerat, ludibrio ipsum habent, eumque lacerata & attrita purpura amiciunt, quo Regio modo vestibus incederet.

Hoc ad nostram consolationem factum est.

In Scriptura justitia nostra confertur panno menstruato, Esa. 64. v. 6. peccata vero, quæ committimus nos, sanguines appellantur, Psal. 51. v. 15. has sordes Christus pallio hoc purpuræ contexit, ut peccata nostra, si sint ut coccinum, & rubra, quasi vermiculus, ut nix & lana alba sint, Esa. 1. vers. 18. Tandem & nos consistemus inter eos, qui venerunt è tribulatione

magna, & laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas, in sanguine agni, Apoc. 7. vers. 14. 15.

Cavete modo, ne vestibus ad luxum compositis Christi martyria augeatis, & renoveis, sed odio habete maculatam à carne tunicam, Jud. v. 23. & induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in justitia & sanctitate veritatis, Eph. 4. v. 24. & aliquando vestiemini stola incorruptibilitatis, 1. Cor. 15. v. 58. splendentes, ut Sol, in Regno Patris in æternum, Matth. 13. v. 43.

3. *Arundinem tradunt.* Hoc sceptrum ejus esse volunt, insigne Regni, sicut Ahas- verus auream virgam in manu tenebat, quam inclinabat erga Esther, Esth. 5. vers. 3.

Hoc iterum consolationem nobis affert.

Tyrannicus Rex Rehabeam subditis suis durum responsum dabat, supplicantibus ut jugum à Patre ejus sibi impositum emolli- ret: Pater meus, dicebat, aggravavit jugum vestrum, ego autem addam jugo vestro, 1. Reg. 12. v. 14.

Sceptrum aded durum Servator noster non gerit, hinc scriptum est: Calamum quassatum non conteret, Esa. 42. v. 3. id ipse multipliciter probavit, dum non modo Centurionem Capernaiticum, qui in fide firmissimus erat, Matth. 8. v. 13. sed & Patrem Lunatici juvit, qui fidem suam ipse incredulitatem vocat, Marc. 9. v. 24. idem adhuc hodie ab ipso expectare possumus. Cum ceciderit benedictus Domini non projicietur, quia Dominus sustentat manum suam, Psal. 37. v. 24.

4. *Ut Regem colunt.* Genu enim flexo

cc

ante

ante eum, illudebant ei, & cœperunt salutare eum: Ave Rex Judæorum. & exspuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput ejus; & ponentes genua adorabant eum.

Hæc omnia Servator noster, magna patientia perpeffus est. Terræ utique mandare potuiffet, ut nequiffimos hos nebulones, sicut Core, Dathan, & Abiron abforpiffet, Num. 16. v. 31. Ignem cœlitus demittere potuiffet, qui eos consumeret, ut Elias, 2. Reg. 1. v. 10. potuiffet manus eorum aridas reddere, ut fecerat Jerobeam, 1. Reg. 13. v. 4. Verum non facit hoc, sed omnia patienter suffert nostri causa, quo nos ab æterno approbriio redimeret, quod in abyffo infernali nobis subeundum erat, Dan. 12. v. 3.

**M.** *Christum palam ostentando.* Sanguine enim in adentem eum, è Prætorio educit, sublataque chlamyde coccinea, ostendit ipsis plagas sanguineas à militibus ipsi inflictas, an forte hoc ipso ad commiserationem commoveri possent. Ecce homo! ait; q. d. Videte quam miserabiliter hic homo tractatus sit, ut fere formam hominis non adæquet, quod si jam non satisfactum est vobis, nescio sane, quid porro cum ipso agendum sit.

Hoc verbum (Ecce homo) probe consideremus, est enim

1. *Vox Condolentis*, quo Pilatus Judæos ad commiserationem adducere voluit. O quoties adhuc hodie nobis ejusmodi miseræ speculum ob oculos ponitur, in hominibus inopia & corporis vitio laborantibus, ubi dicendum nobis: Ecce homo! eosque consilio, ope & solatio sublevemus. Qui enim habuerit substantiam hu-

jus mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & claudit viscera sua ab eo: quomodo caritas Dei manet in eo, 1. Joh. 3. v. 17.

2. *Vox admonentis.* Quando igitur tibi Diabolus novum vestimenti exemplar ostendit, inquens: Ecce homo! quam elegans vestitus! Tu dicas: Ecce homo! ecce! quomodo Servator meus in Prætorio Pilati dilaceratis pannis vestitus est, hoc luxuriosum vestitum mearum effecit. Simplicitas ergo rectumque tuum me Christe gubernet, Psal. 25. v. ult.

Quando Diabolus dicit: Ecce homo! Ecce Regna mundi & gloriam ejus, hæc omnia dabo tibi, si cadens adoraveris me, Matth. 4. v. 9. Tu inquis: Ecce homo! Servator meus spiritualis Rex est, quod arundo in manu ejus testatur: quod si igitur Regni ejus compos esse velim, mundus non diligendus est mihi, transit enim & concupiscentia ejus, 1. Joh. 2. v. 17.

Quando voluptatibus terrenis inescaturus te acclamat tibi: Ecce homo! gaudium & lætitia occidere vitulos, Esa. 22. v. 13. Tu ex adverso responde ei: Ecce homo! Ego Christum complectens, nolo cor meum gravare crapula & ebrietate, curisque hujus vitæ, Luc. 21. v. 34. Qui enim divites fieri volunt, 1. Tim. 6. v. 9.

3. *Vox erigentis*, qua in spiritualibus & corporalibus tentationibus nos erigere possumus.

Quod si Dæmon Servatorem tuum tibi proponit, quasi iratum judicem: Ecce homo! ecce arundinem in manu tenet, quæ signum est mansuetudinis, quam erga omnes homines re ipsa demonstrat. Misereatur enim omnium, & dissimulat peccata

cata hominum, propter pœnitentiam, Sap.  
11. v. 24.

Quodsi morbis correptus, multis dolo-  
ribus obnoxius es: Ecce homo! specta Chri-  
stum, quomodo tui causa miserandum in  
modum tractatus est. Vere tulit dolores  
nostros, Esa. 53. v. 4.

Quodsi in manus servorum militum de-  
venis, qui te crudeliter angustiant & cruci-  
ant: Ecce homo! is hoc quoque tui causa  
sustinuit, & omnem injuriam, quæ tibi in  
mundo obtingit, ita sanctificavit, ut tibi  
omnia in bonum cedant, Rom. 8. v. 28.

Quodsi tunica tibi plane exuatur, &  
contra laceratis pannis incedere cogaris:  
Ecce homo! Servatori tuo idem hoc conti-  
git. Summa, quodcunque tibi accidat, hoc  
exemplo solare te, omnium rerum vicissi-  
tudo est: sicuti conformis fuisti crucifixo  
ejus corpori; ita quoque conformaberis  
corpori ejus glorioso, Phil. 3. v. ult. sicut  
socius fuisti crucis, sic & socius eris lucis,  
sicut miseriæ ita etiam gloriæ, erisque cum  
eo semper, 1. Thess. 4. v. ult.

De Tertio.

**R**estat tertium & ultimum, nempe Chri-  
sticondemnatio, ubi consideranda,

1. Judæorum truculentia, quam de-  
clarat

1. Pontificum impetus, qui probatur

1. Ex postulata crucifixione. Certatim enim  
clamant, cum ministris suis: Crucifige,  
crucifige.

Alias non ulstratum fuit Judæis, facino-  
rosos crucis supplicio afficere; sed gentiles  
hoc genere mortis maleficos suos punire  
solebant: quod igitur crucifixionem hîc

tantopere urgent, id non temere factum  
est, sed definito consilio & præscientia  
Dei, Act. 2. v. 23. Judæi ipsum tradiderunt,  
Ethnici crucifixerunt, ut innueretur, fore  
eum Servatorem, tam Judæorum, quam  
Gentilium, fecit enim utraque unum, &  
medium parietem maceriæ solvit, Eph. 2.  
vers. 14, ut jam sublato discrimine, om-  
nes unum sint in Christo Jesu, Gal. 3.  
vers. 28.

2. Ex repetita accusatione. Quia enim  
Pilatus super crudelitate Pontificum, &  
servorum ejus indignatus, ipsis dicebat:  
Accipite eum, & vos eum crucifigite: ego  
enim non invenio in eo causam. Ipsi obji-  
ciunt legem, quam ipsis Romanus Impe-  
rator sartam rectam concesserat, dicentes:  
Nos legem habemus, & secundum legem  
nostram debet mori, quia Filium Dei se  
fecit.

Id apertum mendacium erat. Non enim  
seipsum Filium Dei fecerat, sed erat talis,  
primò naturaliter, ratione æternæ genera-  
tionis à Patre, Psal. 2, vers. 7. Deinde perso-  
naliter, ratione unionis personalis, ipso  
Deo de cælo contestante: Hic est Filius  
meus dilectus, Matth. 3, v. ult. Matth. 16.  
v. 16.

Id à Judæis pro blasphemia habebatur,  
sicut adhuc hodie omnes Judæi & Turcæ  
hoc ipso offenduntur, putantes, si Deus Fi-  
lium haberet, eundem quoque uxore indi-  
gere. Judicant ita de summo hoc mysterio  
ex cæca ratione, verum dum putant se sa-  
pientes, stulti fiunt, Rom. 1, v. 22.

Nos ex verbo Dei satis certi sumus, esse  
quidem unicum DEUM, verum in una il-  
la essentia tres distinctas personas, Pa-  
trem, Filium, & Spiritum sanctum. Pater  
cc 2 à ne-

in nemine est, velut primus & novissimus, Esa. 44. vers. 6. Filius à Patre, Psal. 2. vers. 7. Spiritus sanctus procedit à Patre & Filio, Joh. 15. v. 16. qua ratione hoc fiat, non constat nobis, sed in vita æterna demum experiemur, ubi non ex parte cognoscemus, sed perfectio sequetur, 1. Cor. 13. v. 20.

2. *Pilati metus*, quem prodit,

1. *Privata exploratio*. Quia enim audiebat, Judæos ipsi imputare, quod seipsum Filium Dei fecisset, cum se ipso deliberat, & metuit, ne Filium Deorum judicandum coram se haberet, sicuti Gentiles, Deos quandoque cælo descendere, & cum hominibus conversari, opinabantur, qua in opinione Lystrenses quoque fuisse, ex Act. 14. v. 8. & seqq. constat.

Id vero Pilatum non parum afflicta, id eo quærit ex Christo sollicité: Unde sit? Sed Jesus nullum responsum dat ei. Quia enim Christo illuserat, & dixerat: Quid est veritas? jam indignum reputat, cui responsum ille det.

Hinc discimus nos,

1. *Quid sit conscientia*. Pilatus probe noverat, Christum insonem esse, nihilominus in gratiam Judæorum indignis adeo modis tractari jussit. Ideo conscientia ejus sensum evigilat, & incipit metueri. Cum sit enim timida nequitia, dat testimonium condemnationis, Sap. 17. v. 11. 12.

Hoc probe consideremus, & ante omnia eò spectemus oportet, ut fidem & bonam conscientiam habeamus, 1. Tim. 1. v. 19. hæc enim juxta est convivium, Prov. 15. v. 15. qui vero mala conscientia præditus est carnificem perpetuum in sinu suo alit. Unde Lutherus, *malam bestiam, qua facit ho-*

*minem stare contra seipsum*, appellat. Tandem desperatio certissima consequitur, ut exemplum Judæ probat. Væ vero inconstantibus, Sir. 2. vers. 14. horum enim pars est in stagno, ardente sulphure & igne, quæ est mors secunda, Apoc. 21. vers. 8.

2. *Quid sit patientia*. Christus Pilato nullum responsum dabat, quia indignus eò erat. Hoc ipso nos quidem potissimum docet, ne sanctum canibus demus, Matth. 7. v. 6. Adhuc hodie enim Epicurei ejusmodi occurrunt, qui Christum cum Ministris suis despiciunt, in tota vita sua, deinde quando morti appropinquant, solatium & promissionem Regni cælestis à verbi Ministris expectant. Verum

Ah dubito ne gratia

Qua sic abusus est data

Hunc derelinquat tandem.

Deus enim defertitur misereri, Jer. 15. v. 7. & quando divitiæ bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnuntur, & in peccatis perseveratur, tandem locum habet illud Salomonis: Vocavi & renuistis, Prov. 1. v. 24. & seqq.

Sed & simul docet nos, quomodo injuriam, quæ nobis inferitur, non ad amissum exigere, sed patientia sufferre debeamus, dicentes cum Davide: Obmutescam & non aperiam os meum, quia tu facies, Psal. 39. v. 11.

2. *Severa expostulatio*. Ubi enim Pilatus ei responderi non vult, expostulat cum eo, inquiring: Mihi non loqueris? & nescis, quia potestatem habeo, crucifigere te, & potestatem habeo, dimittere te? Hæc verba plena fastu erant. Ideo Servator ea silen-

tio

tio præterire non potest, sed ait ad Pilatum: Non haberes potestatem adversus me ul- lam, nisi tibi data esset de super: propter- ea, qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.

Hinc agnoscamus

1. *Tyrannorum insolentiam*, dum abutun- tur potentia suâ, arbitantes, sibi quidvis licere, sicut Jesabel & Achab dixit: Tu nunc administras Regnum super Israel &c. 1. Reg. 29. v. 7.

Sic adhuc hodiè ejusmodi insolentes Magistratus inveniuntur, qui potestatem suam ad illicita quoque extendunt, eorum- que Symbolum est: Fortitudo nostra lex justitia, Sap. 2. v. 11. Verùm: Potentes po- tenter tormenta patientur, Sap. 6. v. 7.

2. *Magistratus dependentiam*: non enim potestatem suam habet à seipso: sed à Deo, idè non extolli, sed semper Deum respi- cere debet, qui eum in hoc throno posuit, ideoque & vicissim dejicere illo potest, ut B. Maria testatur, Luc. 1. v. 52.

Cum Fratres Josephi metuerent, ne ve- terem injuriam vindicaret, quia in amplif- simo Magistratu constitutus erat, ipse illos erigebat, dicens: Nolite timere, quia sub Deo sum ego, Gen. 50. v. 19. Ita Christiani Magistratus perpendant, se limitatam ha- bere potestatem, quæ contrà Deum ejusq; gloriam & Regnum se non extendit, ideo- que cautè agant, ne inopem, peregrinum, viduas & orphanos injuriâ lacessant, quo- niam vindex est Dominus de his omnibus.

1. Theff. 4. v. 6.

3. *Peccatorum differentiam*, habent enim gradus suos, quia hic Judæis majus pecca- tum imputatur, quàm Pilato, qui tamen propterea non justificatur, sed quilibet

U. d. Jos. ch. 57770. in 1. Ep. Joh. p. 13. et 128.

onus suum portare cogitur, quod adeò graviter eum pressit, ut eundem ad despe- rationem adegerit, & ferro necaverit se, prout historia memorant.

Hoc probè animadvertamus. Ingens enim discrimen est inter peccata ex infir- mitate, & malitiâ commissa. Quod peccata ex infirmitate attinet, ea sine proposito, à renatis fiunt, per præventionem carnis corruptæ, e. g. quando Noah inebriatur, Gen. 9. v. 21. 1. Sam. 25. v. 22.

Sicut adhuc hodie nonnunquam ex im- proviso pio aliquo Christiano verbum o- tiosum elabitur, & id genus alia. Hæc vo- cantur peccata venialia, non ex natura suâ: sed propter eventum accidentarium, qua- tenus à renatis, illicò per seriam contritio- nem & pœnitentiam delentur, hinc fit, ut propter Christum iis ad damnationem non imputentur, sed tegantur, ut in æternum eorum Deus non recordetur, Psal. 32. v. 19.

Quod verò peccata voluntaria attinet, quæ ex proæresi committuntur, illa iterum gradus suos habent, semperque unum ma- jus est altero, idè hic Christus ait ad Pila- tum: Qui me tradidit tibi, majus pecca- tum habet.

Hos peccatorum gradus exactè digno- scere possumus:

1. *Consideratione objectorum*. Majus enim & gravius committit peccatum is, qui contrà Deum, quàm qui contrà se ipsum delinquit, & qui contrà seipsum, quàm qui contrà consanguineum peccat, & qui con- trà consanguineum, quàm qui contrà proximum in genere peccat; sic & gravius peccat, qui plura præcepta, quàm qui unum transgreditur & violat; hoc respectu Deus

aliquando iudicabit, reddens unicuique juxtà opera sua, Psal. 62. v. ult.

2. *Consideratione subiectorum.* Ubi enim nulla tentatio, seductio, occasio, indigentia, metus, coactio &c. adest, ibi commissum peccatum gravius æstimandum venit, quam si enumeratorum unum vel alterum subest. Hinc lapsus Luciferi gravior est, lapsu Protoplastorum, proditio Judæ gravior abnegatione Petri, adulterium gravius quàm furtum ex necessitate commissum, & sic ulterius. Similiter, ubi Deus gratiam & dona sua distribuit, & illa despiciuntur, ibi magis peccatur, quàm à talibus, qui his donis & gratiâ destituuntur. Luc. 12. v. 47.

3. *Consideratione adjunctorum.* Qui enim sacrilegium committit, deterior est fure vulgari: qui Sabbatho peccat, & post pœnitentiam in anteriora peccata relabitur, vel unum peccatum lapsius iterat, gravius delinquit, quàm ubi id non accidit. Ideoque Deus pro mensurâ peccati, & plagarum, peccata puniti mandavit, Deut. 25. v. 2.

Id exactè perpendere, & peccata declinare discamus, ne legem Dei violemus, & ita iram ejus attrahamus nobis, quæ ardet, usque ad inferni infima, Deut. 32. v. 22.

3. *Tentata liberatio.* Exindè enim quærebat Pilatus dimittere eum. Verùm propositum hoc non adeò firmum fuit. Habebat enim potestatem, ut ipse prodiderat se, ut Christum crucifigere & dimittere posset. Quia verò summi Pontifices eum muneribus suis corruperant, idèd illos offendere volebat. Et quia magis diligebat honorem hominum, quàm honorem Dei, Joh. 12. v. 43. idèd honori ejus in-

famix labes adpersa est, ut jam anniversariè in universa Christiana Ecclesia, de iniquo iudicio prædicetur, quod adversus Christum tulit, in æternum ejus opprobrium: hoc ita fructus peccati est, Rom. 6. v. 21.

II. *Mortis sententia,* ubi notetur

1. *Impulsus,* qui fuit minatio Judæorum, quod eum coràm Imperatore accusaturi essent, clamabant enim dicentes: Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris, omnis enim qui se Regem facit, contradicit Cæsari.

Hoc ipso tandem terrent & commovent Pilatum, ut obsequium ipsis præstet, ne forte Cæsaris indignationem incurrat, vel planè ab officio removeatur, si apud eum accusetur, quod manifestum rebellem, qui Regem in præjudicium Cæsaris se constituerit, dimiserit.

Videmus hîc, nihil novi esse, si hostes Evangelicæ veritatis adhuc hodie nos velut Rebelles diffament, qui Imperatori Romano debitam fidem non præstemus, imprimis verò crimen læsæ Majestatis æstimant, quando Pontificem Romanum, Anti-Christum profitemur, id ajunt, summam esse injuriam, quâ per latus & obliquè Imperator notetur, qui Pontificiæ Religioni addictus, Pontificem caput Ecclesiæ veneretur.

Verùm ut idem Servatori, falsò tamen imputatum fuit, utpote qui ipsemet didrachmam solverat, Matth. 17. v. ult. & Cæsari dari jusserat, Matth. 22. v. 21.

Ita nobis conscientia nostra testis est, quod Imperatori nullam injuriam inferamus, sed orantes pro salute ejus, debitam ei obedientiam & fidem præstemus.

Cum

Cum Papâ verò nihil nobis commercii est, sed sicut de Babel exivimus, ita etiam abominationes ejus minus probare possumus: Id verò nihil ad Imperatorem, Magis enim oportet obedire Deo, quam hominibus, Act. 5. v. 20.

## 2. Processus, ubi indicatur

1. *Tribunalis occupatio.* Hinc Evangelistæ: Pilatus autem cum audisset hos sermones, quod nimirum Cæsaris iram ipsi minitati sunt, adduxit foràs Jesum & sedit pro Tribunali, in loco, qui dicitur Lithostrotos, Hebraicè autem Gabbatha.

Hoc Tribunal in publico foro juxta Prætorium, lapidibus exstructum & supra terram latum fuisse, ut per gradus aliquot ascendendum fuerit, in quo Præses sententiam pronunciaturus sederet, Buntingius in Itinerario suo scribit.

Hoc improbandum non est. Deus enim in judicio præsens est, ideoque ibi nihil latenter, sed omnia apertè & justè agi debent, ut conspectis cæli nubibus, ille simul cogitetur, qui aliquando in nubibus veniet, judicaturus vivos & mortuos, Act. 10. v. 42. Oculi enim ejus sunt lucidiores Sole, circumspicientes omnes vias hominum, Sir. 23. v. 28. Imprimis verò Tribunalia ideò exaltata fuerunt, ut qui in illis sederint, subindè despicerent & meminerint, quod Deus, qui exaltavit illos, facile quoque eosdem dejicere possit, si injustitiæ Ministri sint, prout Eli Sacerdoti summo contigisse memoratur, 1. Sam. 4. v. 18. & Herodi, cum acclamari sibi sineret: Vox Dei, non hominis, Act. 12. v. 22.

Observetur autem hæc

1. *Temporis nota*, nempe in pasceve Paschæ horâ quasi sexta: hoc circà meridiem factum, ubi Sol ferventissimus est, & hoc ipso pius Servator innuere nobis voluit, quod quæcunque faciat, & patiat, ex ardentissimo ergâ genus humanum amore sustineat, eo fine, ut ira Dei placeatur, & per se pax constituatur in virtute sanguinis sui, quem in flagellatione profuderit, & nunc porò profusus sit in arâ crucis, sicut & Paulus loquitur, Coloss. 1. v. 20.

Videmus hæc: quemadmodum Evangelistæ tempus accuratè notarunt, quo Christus crucifixus: ita etiam nostras afflictiones demensas, juxta numerum, pondus & mensuram, Sap. 11. v. 21. prætereaque ne capillus quidem capitis lædi potest, Matth. 10. v. 30.

2. *Propositionis forma:* ait enim ad Judæos: Ecce, Rex vester! Pilatum non latebat, quòd diu Regem expectassent, tùm & perceperat, quod ante quadriduum Hofanna ipsi acclamassent, & de ejus adventu non parùm lætati essent, ideò ipsis exprobrat levitatem, quod Regem diu expectatum ad mortem postulent.

Talis est favor vulgi, quo non tutò confidendum.

• - - Semper variabile vulgus,  
Fallitur & fallit, vulgi qui pendet ab ore.

Optima ratio est, quando in Deo fiduciam ponimus, simul quoque prudenter ambulamus, exemplo Christi non cuilibet nos credentes, Joh. 2. v. 25. multæ enim sunt insidiæ dolosi, Sirach. 11. v. 31. Qui verò

Spem

Spem Numinis non abjicit,  
 Haud irritâ lactatur:  
 In hæce rupe qui struit  
 Quamvis is invadatur  
 Molestia, non sentio  
 Talem virum cadentem  
 Qui fidit hoc solatio,  
 Non deserit fidentem.

3. *Judaorum replica.* Perseverant enim in proposito suo, dicentes: Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regem vestrum crucifigam? Responderunt Pontifices: Non habemus Regem, nisi Cæsarem.

Hic sermo inconsideratus fuit. Deus enim Regem se illis è fratribus eorum daturum promiserat: Jam verò Regem Ethnicum desiderant, seque Imperatori Romano subijciunt, qui tamen semper libertatem suam pleno ore jactaverant, Johan. 8. v. 33.

Hanc pœnam adhuc hodiè luunt, ut, quia Imperatorem Romanum semel elegerunt, nunc sub alieno Magistratu miserè degant: sicuti tanquam populum vastatum & direptum ante oculos nostros conspiciamus, in execrationem, & in stuporem, & in maledictum & in opprobrium, Jer. 42. v. 18. quæ desolatio usque ad finem super eos perseverabit, Dan. 9. v. ult.

II. *Solemnis protestatio, quæ duplex,*

1. *Ceremonialis.* Pilatus enim acceptâ *Mans ablu* aqua lavit manus. Magnus enim tumultus *et cor pblu* intererat in populo: & licet verbis excusasset se, vix tamen excusationem ejus audire potuissent: ideo accepta aqua lavit coram omni populo manus.

Adhuc hodiè non pauci occurrunt, qui

voluntariè & destinatè injuriam inferunt, deindè ad Pilati malluvium se conferunt, ut hoc modo malitiam suam inculpent, aut ad alios devolvant. Verùm hæc & similes excusationes locum non inveniunt die novissimo, ubi unusquisque pro seipso rationem reddet Deo, Rom. 14. v. 13. Aqua verò peccato abluendo minimè idonea est: Si laveris te nitro, & multiplicaveris tibi saponem: maculata es in iniquitate tuâ coram me, dicit Dominus, Jerem. 2. v. 22.

2. *Vocalis.* Addit namque insuper: Innocens ego sum à sanguine hujus justi. Hoc iterum innocentiae Christi egregium testimonium est, quod probè advertamus, & aureis characteribus tabulæ cordis nostri inscribamus. *Congruè enim delevit peccata aliena, qui propria non habuit.* Augustinus. Confer Hebr. 7. v. 27.

Observamus hîc, licet Pilatus salutare uxoris suæ consilium insuper habuerit, quod tamen ex admonitione ejusdem, aliquid notaverit, siquidem ipsis ferè formabilibus utitur, quibus ab uxore sua monitus fuerat. Innocens enim ego sum, inquit, à sanguine hujus justi.

Animum hoc addat Christianis Matronis, ut, si quandoque tumidos Pilatos, aut pertinaces Nabales maritos habeant, qui fidele suum consilium aspernantur, ne tamen desistant, quò minus blandis suis admonitionibus iis autem vellant, utrum per mulierum conversationem illi lucriferi possint, 1. Petr. 3. v. 1. sic enim gaudebunt suavi conscientia. Tempus demùm veniet, ubi stimulos conscientiae sentient præfracti mariti, ubi res præter opinionem ceciderit, quod Pilato accidisse, non dubitandum

dum est. Ubi enim mensura peccatorum impleta est, ascendit furor Domini, ut nulla adsit curatio, 2. Chron. 36. v. 16.

3. *Annexa comminatio.* Addit enim: Vos videritis, quomodo Deo & conscientia vestra satisficiatis. Quò ipso omnem culpam à se in Judæos devolvere volebat.

Rectè facit Pilatus, quod in Pontificibus, Senioribus & Scribis malum hoc propositum reprehendit: Sed idem mihi facere videtur, quod verbi Præco, qui ex suggestu alios docet, non furandum esse, & ipse furatur, Rom. 2. v. 21. Ira se hinc Pilatus absolvere nititur, dum ad Judæos ait: Vos videritis: cui tamen rectè replicasses: Tu videris Pilate. Noverat enim Christum innocentem esse, proptereaque iustum nominaverat, & tamen clamore Pontificum & Seniorum, terretur, ut ad mortem condemnet eum.

Christiani Magistratus ante omnia conscientiam suam illibatam servant, ne æternum vix sibi attrahant, quod Deus omnibus illis minatus est, qui dicunt malum bonum, & bonum malum, Esa. 5. v. 20.

3. *Eventus.* Ubi tria notanda:

1. *Judæorum stipulatio.* Pilatum enim absolvent, & omnia suæ excusationi reservant, idèò universus populus clamat: Sanguis ejus super nos, & super filios nostros. Quod verbum optimum, sed pessimâ intentione prolatur, ut Hieronymus scribit. Quod enim hinc sibi imprecati sunt, abundè in illis & liberis eorum impletum est, ita ut in totum orbem dispersi, in execrationem & maledictionem supersint, Jer. 42. v. 18.

Idcirco nemo se neque liberos suos diris devoveat. Nam benedictio Patris fir-

mat domos filiorum: Maledictio autem matris evertit fundamenta, Sir. 3. vers. 11. Interea alio sensu hæc Judæorum imprecatione uti possumus, verâ fide dicentes: O Jesu Christe! Sanguis tuus super nos, & super filios nostros: Expiate nos velis, Domine, hyssopo sanguinis tui & munda- bimus: lavabis nos, & super nivem deal- babimur, Psal. 51. v. 9. In te enim habemus redemptionem per sanguinem tuum, remis- sionem peccatorum, Eph. 1. v. 7.

2. *Barraba liberatio.* Tunc, inquit Evangelista, dimisit illis Barrabam. Hinc in re Pilatus contra legem & rationem peccavit. In lege enim mandatum erat, ut fontes debitâ pœnâ afficerentur. Quod si igitur velut Ethnicus id minus observare voluisset, Romanorum judicia eum non la- tuerunt, qui facinorosos non impunè dimittebant. Idque justitiæ maximè consentaneum est. *Qui enim parcat malis, nocet bonis.* Quinimò unius viri malitiam sæpè univèrsa civitas vel provincia luit, ut rectè Salomo dicat: Unus peccator multa bona perdet, Eccles. 9. v. 18.

Observent hoc Christiani Magistratus, ut peccata & flagitia, pro meritis puniant, ne iram & vindictam Dei, sibi atque subditis suis attrahant. Non parcat ei oculus tuus, Deut. 13. v. 8.

3. *Ultima sententiæ proclamatio.* Jesum namque flagellatum tradidit eis, ut crucifigeretur.

Exemplum hinc habemus iniqui iudicis, qui multos in mundo fratres reliquit, plus metuentes homines quàm Deum, aut aliorum amicitia tribuentes, quod coram Deo, atque conscientia sua in æternum excusare nequeunt. Tale crimen ne ju-

dex incurrat, caveat. Si peccaverit vir in virum, tum judicant Dii: Si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo? 1. Sam. 2. v. 25.

Interea condemnatio Christi in solatium nostrum vergit. Ratione enim tristissimi lapsus eò res nobiscum devenerat, ut undiquaque Crucifige super nos exclamatum sit.

In cœlo dicebat Deus: Crucifigatur: semel à me dictum est, quocunque die homo de arbore vetita comederit, morte moriatur, quod verbum nunquam mutabitur, sed immotum manebit. Cœlum enim & terra transibunt, verba autem mea non transibant, Luc. 21. v. 33.

In inferno clamabant Diaboli: Crucifigatur, quorum libido erat, ut & nos carenis noctis in tartarum detruderemur vincti, 2. Petr. 2. v. 4. daturi pœnas, interitum æternum à facie Domini, & à gloria virtutis ejus, 2. Thess. 1. v. 9.

In his terris adhuc hodie locum habet: Crucifigatur. Variationes enim & exercitus adversus nos sunt, Job. 10. v. 17. Hic semper cogitationes, & timores cordis, adinventio expectationis, & dies finitionis, Sir. 40. v. 2. Nos judicem nostrum habemus, qui sententiam super nos pronunciat annunciandam nobis: Dispose domui tuæ, Etsa. 38. v. 1. Verùm Servator noster Jesus, Mediator noster factus, judicium condemnationis subiit, ut nos absolveremur. Non amplius nunc audiendum nobis, triste illud Crucifige, sed Justificetur & vivat: non enim Dominus delectatur in perditionibus nostris, Tob. 3. v. 22.

Die novissimo demum verâ vita perfruemur, Sir. 48. v. 12. Quando nos Dominus sibi adsciscet, ut simus cum eo semper, 1. Thess. 4. v. ult.

Hoc JESU! nobis largire Amen.

## DOMINICA PALMARUM.

Textus.

*Historia Passionis, usque ad finem.*

### EXORDIUM.

**V**eneranda Antiquitas presentem Dominicam appellavit Dominicam Palmarum: semel statione ramorum, quos populus præcidit, & in ingressu Christi in viâ stravit, fuerunt enim rami palmarum, ut Johannes indicat, cap. 12. v. 13. Deinde hoc ipso Christus maximè respicitur, qui per palmam præfiguratus est. Propterea in-

quit: Quasi palma exaltata sum in ripâ, transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini, Sir. 24. v. 18. 26.

Meditatio Evangelii suggerit

I. *Triplicem Querelam*, si respiciamus

1. *Palma pressuram*, quâ ab ipsâ infantia usque in sepulchrum affectus est. Bethlehemi non invenit locum in diversorio, sed